Iste voracissimo tristitiae barathro absorbetur. Hic amore nimio, in-
vidia alter pene extinguitur, sperat ipse, desperat ille, alius
denique non quod vult agit bonum, sed quod non vult, hoc facit
malum, in tantum ut improbissima caro concupiscat adversus spiritum,
fiatque eo dominatu miserabilis servitus, et ex servitute pre-
posterus dominatus. His nim. infortunijs his procellis agitatur
infelicium mortalium mentes, nam pulchritudo quam libera ab
his aerumnis consequerentur lugubri casu deperdita est. O vulnus
ingens, o plagam horrendam! anne igitur ab omnium omnino mor-
talium pectoribus exulas? nullasne decora animas? omnesne qui
lucem hanc intuentur hac inordinata passionum, inclinationumque
dissensione quatiuntur? crediderim AA. Si ipsa pulchritudo loqui
posset, magno cum gemitu assereret, paucos existere, quorum
animas quomodocunque vel parum exornet, pauciores in quibus
dominatum exerceat, paucissimas quas undequaque perfecte con-
decorat. Solam tamen hanc Virginem ita liberam, itaque immune
ab hac ignominia extitisse, ut et illos paucos superarit, solaque
cum Filio in octavo, et perfectissimo gradu pulchritudinem
suam obtinuisse libens assentio. Haec igitur Virgo pulcherrima
haec sola est quam nulla unquam labes coinquinavit, nulla
macula defoedavit, nulla unquam vel umbra, nubesve erroris
obscuravit, hanc nulla unquam turpitudinis nota, non nae-
vus nullus, nec aliquis fomes malitiae laude pulchritudinis
spoliavit. Sol, et Luna eclypsantur, stellae obnubilantur
aurum, gemmaeque permulta obfuscant, B.mae Virgini
lux divinae gratiae nunquam subtracta est, nunquam